

mul praedicat (1). Ex hisce ergo satis patet, quam absurde iacet *Spinoza*, propter habitudinem corporis, aut affectiones animi, modo laeta, modo infausta a sanctis prophetis praevisa fuisse.

Ceterum ad exemplum *Elisei*, antequam prophetaret, psaltem advocantis a *Spinoza* nobis obiectum iam alibi (2) respondimus.

18. COROLLARIUM II. Pariter hallucinatur *Spinoza*, dum ait, prophetiam a vividiore imaginatione pendere. Nam prophetiae vel sunt verae et reapse tales, vel non sunt. Si non sunt verae et reales, prophetis propter vividiorem imaginationem frustra tribuuntur: si autem sunt verae atque reales, superest, ut *Spinoza* cum aliis sui similibus exponat, qua ratione fieri possit, ut propter vividiorem imaginationem tales prophetiae menti obii-ciantur. Imo a vividiori imaginatione multa saepe fingi, atque etiam ea repraesentari, quae quoad esse repugnant, experientia compertum habemus. Ceterum ut per eam no-verimus, quae pendent a liberis caussis (qualia prophetae saepe praeviderunt), gratis omnino fingitur. Nam ut nos vel imaginatione nostra influamus in alterius liberas electiones, vel ea quoque, quae primum fient post longum spatium annorum, in vividiorem imaginationem influant, nemini unquam ne apparenter quidem verum videri poterit; imo nihil absurdius dici posse, nullus negaverit: ergo prophetiam a vividiori imaginatione pendere delirantis *Spinozae* ineptia est. Deinde licet res materiales imaginatione repraesententur, tamen veritatem rerum ut imaginatione cognoscamus, fieri nunquam potest:

(1) Genes. c. 41.

(2) P. 3 Script. s. contra incred. propugn. sect. 1, cap. 4, q. 9, p. 149-155.

ergo cum prophetia illarum veritatum cognitionem supponat, quae longe a nobis positae sunt, impossibile est ut a phantasia seu imaginatione dimanet, quantumvis vivida ea sit. Tandem non potest phantasia efficere ut id sit, quod non est: ergo per phantasiam, quae liberere futura sunt, atque aequae esse ac non esse possunt, praevidere non possumus.

At INQUIES cum quibusdam pseudo-philosophis (3): Prophetas efficit imaginatio valde vivida; si ea secundum certas, quantumvis nobis incognitas, naturae leges operetur. Vel etiam dici potest, quod certae extraordinariae tensiones, aut vehementes concussioniones ac tremores nervorum et fibrillarum cerebri in causa sint, cur vividior quorundam imaginatio futuros rerum eventus acutius et altius introspectat. Sed CONTRA EST: cl. *Wolfius* et post hunc non exiguus praestantissimorum metaphysicorum numerus leges naturae, secundum quas phantasia seu vis imaginativa operatur, accuratissime explicarunt et dilucidarunt. Igitur nil prodest, ad incognitas naturae leges, et nescio quas tensiones aut violentas concussioniones nervorum provocare. Equidem possumus ope phantasiae varias res tanquam futuras animo nostro repraesentare, sed realem his rebus existentiam, et nobis ipsis certitudinem, qualem prophetae habebant, de futura reali existentia illarum rerum tribuere non possumus. Praeterea tam notae, quam incognitae naturae leges semper et ab origine mundi eadem sunt. Qui ergo fit, ut nullus iam *Isaias*, nullus *Ieremias*, aut *Ezechiel* sit, qui nobis res prorsus inexpectatas, et primum post multa saecula futuras

(3) Vide cl. *Storchenau* loc. cit. p. 155.

more prophetarum fidenter denunciet?

19. SCHOLIUM. Negari quidem non potest, per imaginariam visionem nonnulla prophetis aliquando revelari; verum neque in imaginaria visione prophetia consistit, neque prophetia, quae imaginariam visionem coniunctam habet, est perfectissima omnium. Rem totam s. *Thomas* more suo doctissime explicat (1) his verbis: « Per donum autem prophetiae confertur aliquid humanae menti supra id, quod pertinet ad naturalem facultatem quantum ad utrumque, scilicet et quantum ad iudicium per influxum luminis intellectualis, et quantum ad repraesentationem rerum, quae fit per aliquas species... Horum autem duorum principaliter est primum in prophetia quia iudicium est completivum cognitionis. Et ideo si cui fiat divinitus repraesentatio aliquarum rerum per similitudines imaginarias, ut *Pharaoni* et *Nabuchodonosor*, aut etiam per similitudines corporales, ut *Balthasar*, non est talis censendus propheta, nisi illuminetur eius mens ad iudicandum. Sed talis apparitio est quiddam imperfectum in genere prophetiae. — Erit autem propheta, si solummodo intellectus eius illuminetur ad iudicandum etiam ea, quae ab aliis imaginarie visa sunt: ut patet de *Ioseph*, qui exposuit somnium *Pharaonis*. »

Porro prophetiam, qua futura conspiciuntur per solam veritatem intellectus, longe praestantior ea esse, qua per similitudinem rerum corporalium secundum visionem imaginariam cognoscitur veritas rei futurae, idem doctor angelicus (2) ita demonstrat: « Dicendum, inquit,

(1) 2, 2, q. 175, art. 2.

(2) II. 2, q. 174, art. 2.

(3) Tractatu theologico politico, c. 2.

quod dignitas eorum, quae sunt ad finem praecipue considerantur ex fine. Finis autem prophetiae est manifestatio alicuius veritatis supra hominem existentis. Unde quanto huiusmodi manifestatio est potior, tanto prophetia est dignior. Manifestum est autem quod manifestatio divinae veritatis, quae fit per nudam contemplationem ipsius veritatis, potior est, quam illa, quae fit sub similitudine corporalium rerum. Magis enim appropinquat ad visionem patriae secundum quam in essentia Dei veritas conspicitur. Et inde est, quod prophetia, per quam aliqua supernaturalis veritas conspicitur secundum intellectualem veritatem, est dignior quam illa, in qua veritas supernaturalis manifestatur per similitudinem corporalium rerum secundum imaginariam visionem. »

20. COROLLARIUM. III. Impie quoque, ac insipienter finxit *Spinoza*, variam in unoquoque propheta revelationem fuisse PRO DIVERSITATE OPINIONUM, QUAS ANTEA AMPLEXUS FUERAT. Ad quam assertionem stabilendam plura ex sacris literis adducit exempla. *Adamo*, inquit (3), revelatus fuit Deus secundum captum eius; uti in paradiso ambulans post meridiem (4), quia eum ubique esse, atque omnia nosse ignorabat: *Caino* quoque Deus velut rerum humanarum inscius secundum capacitatem illius repraesentatus fuit (5). Similiter Deus se *Abrahami* (6), quia unamquamque nationem suam proprium Deum habere *Laban* putabat etc. Porro ex hac diversitate opinionum, illud quoque evenisse conclusit *Spinoza*, ut sacri scriptores non semper u-

(4) Genes. c. 3, v. 8.

(5) Genes. c. 4, v. 9.

(6) Genes. c. 31, v. 29.



num idemque senserint. Neque enim, ait *Spinoza* loc. cit., ea quae *Ezechiel* de non sustinenda iniquitate patris a filiis c. 18 tradit, cum iis consentiunt, quae *Exod.* c. 34, v. 7 leguntur, in quo a filiis iniquitatem patris usque ad quartam generationem portandam esse dicitur. Ita *Samuel* supplicum preces a Deo non exaudiendas putavit (1), contrarium tamen *Ieremiae* aliisque sanctis prophetis revelatum fuit (2). Similiter ratione ex *Geneseos* cap. 4, v. 7 constat, appetitum nostrum esse sub nobis, nosque in illum dominari; contra autem sine gratia Dei de tentationibus nullum triumphum nos reportare posse, *Paulus* ceterique apostoli saepe clamant. Haec sunt praeter alia, quae impius *Spinoza* cit. loc. contra divinam revelationem prophetiarum imprudenter opponit.

Sed n. Ex toto hoc *Spinozae* discursu sequeretur, quod revelatio sanctorum prophetarum vel non fuerit divina, vel quod Deus sibi met ipsi contradixerit, et opposita revelaverit; quod sine blasphemia dici non potest. Ceterum ad allegata a *Spinoza* exempla Scripturae dico, neque *Adamum* credidisse, non ubique esse Deum, neque secundum hanc eius opinionem Deum illi apparuisse. Nam *Adamum* credidisse, Deum ubique non esse, inde se colligere posse *Spinoza* fortasse putavit, quia a facie Dei sese abscondisse legitur. Verum hoc non fecit, quasi, si fugeret, a Deo se videri non posse putaret, sed admissi criminis conscientia agitatus, a facie eius declinare voluit, ne eum tantum sibi scelus exprobrantem audiret. Omnibus enim compertum est, impellente passione ruboris, nos saepe ea facere, quae nobis

(1) I. Reg. c. 8, v. 18.

(2) Ierem. c. 29, v. 12 et 13.

prodesse, aut deformitatem admissi criminis tegere non possunt.

Similiter mala est illatio, quam *Spinoza* ex verbis Dei ad *Cainum* fratricidam prolatis format. Non enim Deus a *Caino* de illius fratre quaesivit, quasi ignoraret, ubi esset, sed ut eum coargueret, atque de admissio crimine convinceret. Nam apud nos quoque usuvenit, ut quamvis admissum crimen non ignoremus, reusque probe sciat, nos illud non ignorare; tamen confessionem illius ad augendam confusionem et poenam, ab ipso reo extorqueamus. « Interrogat Deus Cain, inquit s. Augustinus (3), non tantquam ignarus eum, a quo discat, sed tanquam iudex reum, quem puniat, ubi sit frater eius. »

Temere etiam *Spinoza* ait *Labanum* existimasse, unamquamque nationem suam propriam habere Deum; quia *Laban* ad *Iacob* (4) cum omnibus suis aufugientem, sed in fuga deprehensum ait: « Valet manus mea reddere tibi malum; sed Deus patris vestri (i. e. Abrahami) heri dixit mihi: cave ne loquaris contra *Iacob* quidquam durius. » Verum unde constat *Spinozae*, *Labanum* ea potissimum de causa Deum patris vestri, i. e., Abrahami vocasse, quia quamlibet nationem suam Deum habere putaret? An non potius Deum Abrahami appellasse censendus est, quia Abraham ampliori benedictione prae ceteris fuit a Deo repletus, vel quia suam fidelitatem erga Deum exemplo inusitato comprobavit? Ast mirandum non est, si in suae desperatae causae patrociniū quaevis absurda *Spinoza* confingat.

Ceterum pessime asserit idem impius auctor, oppositionem dari in-

(3) L. 22 contra *Faustum*, c. 10.

(4) Genes. c. 31, v. 29.

ter ea, quae *Ezechielis* cap. 18 et *Exod.* cap. 34, v. 7 leguntur. Plures enim explicandi modi suppetunt, quibus nullam inter haec contrarietatem esse demonstratur. Primo enim dici potest, poenas scelerum paternorum iuxta cit. locum *Exodi* a filiis luendas esse, quando et parentum suorum pravos mores expresserint, et iniquitatem secuti fuerint. Quando autem filios paternorum scelerum poenas laturos non esse *Ezech.* cap. 18 decernitur, ea conditione decernitur, ut ab eorum sceleribus aversi esse debeant. Secundo dici etiam potest, Deum aliquando permittere, ut cum impiis simul iusti puniantur, vel innocens filius propter iniquitatem patris sui aliqua mala sustineat, non quidem in poenam sceleris, quod non admiserunt; sed vel ut exercitatione virtutis gloriam aeternam assequantur, vel a propriis peccatis resipiscant. Solummodo ergo propter peccatum patris nunquam filius puniatur. Nullam ergo oppositionem inter ea esse, quae *Ezechielis* cap. 18 et *Exod.* cap. 34 leguntur, si ve prior sive alter explicandi modus accipiat, luculenter patet.

*Samuel* autem non quascunque supplicum preces a Deo exaudiendas esse negavit, sed tantum eas, quibus ipsi iudaei aliquando deprecaturi essent Deum, ut a dominatione regum ipsos eriperet. Verba enim huius prophetae loc. cit. sunt ista: « Et clamabitis in die illa, a facie regis vestri, quem elegistis vobis: et non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petistis vobis regem. » *Ieremiae* vero, aliisque s. prophetis nunquam revelatum fuit, Deum votis nostris SEMPER obsequi, quando eum rogamus, ut mala temporalia a nobis avertat. Nulla igitur inter *Samuelem*, ceterosque prophetas

(4) Lib. de somn. et vigil.

tas oppositio est, nisi in cerebro *Spinozae* conficta.

Demum illis verbis *Geneseos*, quibus appetitus noster sub nobis esse dicitur, de libertate nostra admonemur: quando autem *Paulus*, ceterique apostoli ad vincendas tentationes gratia Dei nos indigere affirmant, contra arbitrii nostri libertatem non sentiunt: non enim gratia Dei nos necessitat ad agendum, sed facit, ut libere volentes consentientesque operemur.

21. SCHOLION. Cum prophetiae V. T. accurate impletae, sint unum ex praecipuis argumentis veritatem et divinitatem christianae religionis demonstrantibus; mirum haud est, quod deistae, alique increduli eiusdem religionis hostes acerrimi theopneustiam prophetarum modis omnibus impugnent, et prophetiam cognitionem rerum futurarum homini naturalem esse posse, nulloque supernaturali lumine indigere, ostendere conentur. Id patet ex quaestionibus hactenus propositis et solutis, ampliusque patebit ex mox solvendis.

22. QUERES VIII. An exemplis brutorum, hominum, aut daemonum probari possit, quod futura contingentia absque lumine supernaturali videri possint? Theistae cum omnem lapidem moveant ad impugnandam θεοπνευστίαν seu divinam inspirationem prophetarum, praeter multa alia OPPONUNT I. Bruta quaedam animalia habent praenotionem futurorum ad se pertinentium, e. g. formicae, pisces, gallinae etc., praesentiunt pluvias etc., ergo multo magis et perfectius homo potest naturaliter praenoscerere futura. OPPON. 2. Cognitio animae humanae magis viget in vigilando, quam in dormiendo: atqui in dormiendo quidam naturaliter praevident quaedam futura, ut docet *Aristoteles* (1). Similiter s. Au-



*gustinus* (1) docet, animam humanam posse futura praevidere, dum a sensibus corporis abstrahitur. Et *s. Gregorius M.* (2), quod ipsa animarum vis sua subtilitate quaedam praevideat: ergo naturaliter et sine lumine divinitus immisso homo potest futura praevidere et praedicere. OPPON. 3. Daemones possunt futura certo praedicere; habent enim intellectum perspicacissimum, diuturnam experientiam, et praesentes sunt rebus occultissimis: ergo facultas prophetica etiam naturaliter, sine lumine supernaturali obtineri potest. CONFIRMATUR I. Daemones reipsa per prophetas suos, v. g. *Balaamum* veras ediderunt prophetias, e. g. Num. 24, v. 17: *Orietur stella ex Jacob etc.* CONFIRM. II. Vates ethnicorum, et oracula idolorum non raro futura annuntiabant: ergo.

¶. Futura, quae a solius Dei, vel etiam a liberarum causarum arbitrio dependent, illa nec brutum, nec homo, nec daemon sola naturali sagacitate infallibiliter praevidere potest, ut ex supra dictis (3) patet, et hic amplius demonstrabitur. Et sane semper erat communis ipsarum etiam gentium sensus, soli Deo, iisque creaturis, quas ille singulari divino lumine illustrat, eiusmodi futurorum cognitionem competere; prout *Huetius* (4) adductis copiosis veterum poetarum ac philosophorum testimoniis ostendit. Unde etiam ethnici vates suos appellarunt *divinos*. Accedit ratio manifesta, a nobis iam (5) adducta. Nam eiusmodi futura non possunt ab homine naturaliter cognosci *in seipsis*, quia necdum existunt; nec *in suis causis*, quia cum his non necessariam, sed duntaxat libere contingentem connexionem habent.

(1) L. 12 de Genesi ad literam.

(2) L. 4. Dial. c. 26.

(3) Vide supra nn. 1, 16, 17, 18.

Hinc extra mentis creatae cognitionem posita sunt futura hominum ignotorum consilia, praecipue si pendunt ex innumerabilium voluntatum libera consensione, earundemque cum innumerabili serie causarum physicarum coniunctione; qualia sunt remotissima imperiorum facta, quae tamen a prophetis non semel praedicta fuere. Praeterea ab homine sine supernaturali lumine cognosci nequeunt ea omnia, quae praeter naturae ordinem divina virtute contingunt, ut miracula, et divina decreta. Haec enim nec videri possunt in causis naturalibus, cum sint praeter naturae ordinem; nec in ipsa divina voluntate, cum huius consilia, nisi Deo manifestante, nobis innotescere non possint. Cum igitur prophetae etiam talia praedixerint aut manifestarint, fatendum omnino est, causam unicam harum prophetiarum esse Deum, prophetas supernaturali lumine illustrantem. Neque contrarium evincunt argumenta incredulorum opposita. Nam

23. Ad 1. ¶. Dist. ant. quaedam bruta habent praenotionem futurorum in suis causis proximis phantasiarum moventibus, conc. ant.; habent praenotionem futurorum in seipsis, neg. ant. et dist. cons.; ergo multo magis homo potest naturaliter praescire futura necessaria in suis causis proximis, v. g. ortum, occasum, coniunctionem aut eclipsem planetarum, et alia, de quibus non est prophetia proprie dicta, conc. cons.; potest praescire futura libera seu illa de quibus est prophetia proprie dicta, neg. cons. Nam prophetia proprie dicta, ut supra (6) ostensum est, definitur,

(4) In demonstr. evang. axiom. 4.

(5) Vide supra nn. 1, 16, 17, 18.

(6) Vide supra nn. 1, 16, 17, 18. 21 et 22.

quod sit certa cognitio rei libere et contingenter futurae, quae nullis indiciis naturalibus certo praevideri potest.

24. Ad 2. ¶. Nec *s. Augustinus*, nec *s. Gregorius* loc. cit. ait, quod anima naturali sua vi, et absque revelatione divina possit infallibiliter praevidere futura contingentia libera, quod proprium prophetarum est: sed *s. Augustinus* solum vult, animam, quanto magis a corporeis abstrahitur, tanto aptiorem fieri ad percipiendas revelationes divinas, vel etiam ad percipiendos motus subtiles ex impressionibus causarum naturalium in phantasia relictis. Similiter *s. Gregorius* tantum vult, ab anima, ubi ad mortem propinquat homo, praenosci futura quaedam subtilitate suae naturae, in quantum scilicet tunc percipit modicas etiam impressiones; aut etiam futura ab eadem cognosci, non propria virtute, sed revelatione angelica, seu a Deo per angelos accepta. Nam angeli etiam boni non possunt vaticinia proprie talia edere tanquam primi eorum auctores, sed solum ea annuntiare iussu Dei, ut *s. Thomas* (1) recte observat; neque pollent facultate cognoscendi ea, quorum cognitio nullis potest naturalibus indiciis haberi, seu circa quae versatur prophetia proprie dicta; sed solum praenoscent, quorum cognitio naturalibus indiciis acquiri potest, sive quae sine prophetia stricte tali praedici possunt.

25. Ad 3. ¶. Neque daemones ea, circa quae versatur prophetia stricte talis (id est, futura libera) praedicere possunt, nisi interdum *coniecturaliter* ex causis praesentibus sibi cognitis, nobis vero occultis. Prophetia autem stricte talis non tantum est coniectura, sed

(1) II, 2, q. 172, art. 6.

(2) Ibidem.

certa cognitio rei futurae. Ceterum multa sunt, a quorum cognitione daemones, Deo vetante, arcantur. Prae omnibus autem eos latent intimae hominum cogitationes, nisi exterius prodantur, et futura contingentia a libero Dei decreto, vel etiam a libero arbitrio hominum pendunt. Hinc oracula apud gentiles per daemones edita erant valde ambigua et aequivoca, ac ad omnem eventum parata.

Ad CONFIRM. I. ¶. Prophetia illa a *Balaamo* edita non erat a daemone, ut obiectio supponit; sed a Deo: prout *s. Thomas* (2) docet, et nos ipsi infra (3) ex instituto exponemus.

Ad CONFIRM. II. ¶. Dist. ant. vates ethnicorum ac oracula idolorum futura annuntiabant coniecturaliter, ambigue, aequivoce, aut modo longe diverso a praedictionibus verorum prophetarum, conc., secus neg. ant. et cons. Vaticinia ethnicorum ac oracula idolorum a praedictionibus sanctorum prophetarum plurimum discrepabant. Nam I. Vates gentilium vaticinabantur, fugientes praesentiam prudenter et maxime christianorum; passim quoque graeci et sapientiores romani, teste *Origene* (4), nihili pendebant celeberrima Graeciae oracula. E contrario prophetae in praesentia populi ipsorumque regum aspera quaeque praenuntiabant, nullo timore tormentorum aut mortis absteriti, ipsasque prophetias, ut posteritati innotescerent, scripto relinquebant. II. Idolorum vaticinia saepe inter se discrepabant. Sic oracula *Apollinis Clarii* dissonabant aliquando ab *Apolline Delphico*. E contrario vaticinia prophetarum optime inter se consentiunt, licet

(2) In quaestione, an etiam malis spiritibus propheticus communicari possit?

(4) Cap. 25, v. 8 et seq.



prophetarum interdum loco fuerint maxime dissiti. Sic v. g. *Ieremias* in Palaestina, et *Ezechiel* in Chaldaea eadem utrinque praenuntiabant: sic etiam, quae de Christo et ecclesia a diversis prophetis fuere praedicta, videmus hodie consentire in eventu. III. Gentilium oracula, si de rebus magis latentibus edebantur, aequivoca semper, ambigua, et ad omnem eventum erant parata, ut supra iam indicavimus: vicissim praedictiones prophetarum saepe erant clarissimae, ut e. g. illa *Ieremiae* de futura captivitate 70 annorum. Plura de discrimine inter oracula gentilium et vaticinia prophetarum eruditissime disserit cl. *Storchenau* loc. cit. pag. 112-124. Item pag. 190-195. Plura nos quoque infra num. 35 dicemus.

26. **QUAERES IX.** *Cur nonnullae prophetiae (e. g. quae sunt Isaiae prophetarum) elegantiori, aliae vero (e. g. quae sunt Amos prophetarum) rudiori stylo seu dicendi ratione scriptae sint? Item cur aliae clarius, aliae obscurius exaratae; cum tamen unus idemque Spiritus s. omnium prophetiarum vere et pro-*

(1) L. 2 de locis theologicis, c. 18.

(2) Sic videntur conciliari posse diversae theologorum sententiae, quorum aliqui affirmant, alii negant, omnia et singula verba a Deo fuisse sacris Scriptoribus dictata: conciliari, inquam, has sententias diversas posse, dicendo, omnia et singula dictata quidem fuisse formaliter et quoad sensum, sed non materialiter sumpta; quamvis Deus aliqua etiam materialiter sumpta dictaverit, ut mox in sequenti nota dicam.

(3) Dixi: *Non semper*. Omnes enim admittunt, Deum sacris Scriptoribus, maxime prophetis saepe dictasse verba, etiam materialiter sumpta; eis nimirum suggerendo ipsas voces, iis praecipue in locis ubi de Deo rebusque divinis et mysteriis supernaturalibus sermo est. Aliquas etiam phrases ac figuras energicas, seu ad movendum aptiores, eisdem inspiravit, et interdum aut saepius subministravit ubertatem verborum. Dum autem

*prie talium auctor sit?* R. cum *Melchioro Cano* (1) *Bellarmino*, *Lessio*, *Contensonio*, aliisque praestantissimis theologis, Deum non singula verba materialiter sumpta et quoad sonum, sed solum formaliter accepta, id est, sensum verborum sacris Scriptoribus inspirasse: ita tamen, ut simul vellet omnia et singula verba ab illis scripta habere pro suis: sicque tota Scriptura iisdem inspirata et dictata esset, saltem quoad sensum (2). Quia tamen Spiritus s. ipsa verba et verborum constructionem materialiter sumpta non semper (3) suggestit, inde factum fuit, ut, cum variis sacrorum Scriptorum genius ac peritia esset, varia quoque dicendi ratione usi fuerint, atque in nonnullis esset elegans, sicut in *Isaia*, qui in aula regia versatus fuerat; in aliis autem simplex et humilis, sicut in propheta *Amos* inter pastores enutrito. Neque enim Spiritus divinus scriptores sacros ea ratione movebat, quo energumini ab immundis spiritibus impelluntur, sed ita ad scribendum incitabat, ut eorum indoli sese attemperaret.

sacri scriptores loquebantur de rebus sibi naturaliter notissimis, delectum, constructionemque verborum materialiter sumptorum Deus aliquando permisit libertati atque ingenio ipsorum, et sic non semper dictavit verba materialiter, sed tantum formaliter sumpta, seu quoad sensum, ac ita scribentium calamum attemperavit, ne scribendo laberentur; voluit tamen omnia et singula verba, ab illis scripta habere pro suis, ut proin omnia et singula sic scripta sint vere et proprie verbum Dei scriptum.

Ceterum, quia non constat, quatenus sint omnia illa verba, quae non tantum formaliter, sed etiam materialiter sumpta divinitus inspirata fuerunt, merito singula diligenter expenduntur, nec in sacris Bibliis mutanda sunt, praesertim quia saepe aliqua videntur synonyma, quae revera non sunt, et omnia verba saltem scripta fuerunt cum speciali assistentia Spiritus sancti.

Duplici autem ratione contigit, ut una eademque res non omnibus prophetis eadem claritate, ac perspicuitate manifestaretur. Prior ex modo revelationis, altera ab ipsis rebus revelatis repeti debet. Quibusdam enim prophetis per intellectualem cognitionem, aliis per similitudinem rerum corporalium secundum visionem imaginationis veritas supernaturaliter manifesta fuit. Cum vero revelatio, quae fit per simplicem contemplationem veritatis, longe praecellentior ea sit, quae habetur per similitudinem rerum corporalium secundum visionem imaginationis, et per illam mens prophetarum altius assurgat, quia absque imagine veritatem in seipsa videt (1), consequens inde est, ut veritatem revelatam ii clarius et distinctius cognoverint, quibus per cognitionem intellectualem manifestata fuit; qui autem rem revelatam per similitudinem rerum corporalium secundum visionem imaginationis cognoverunt, non aequae clare et distincte cognoverint. Porro, sicuti cur haec, et non illa, isto tempore et non alio, prophetis revelata fuerint, ratio penes Deum est; ita etiam apud ipsum est, cur non omnes veritates eodem modo supernaturaliter manifestatae fuerint.

Dein etiam ab ipsis rebus revelatis haec diversitas repeti debet. Nam Deus de Christi incarnatione homines per divinam revelationem eo plenius edoctos esse voluit, quo minus ab illa distabant. Prophetia quoque, quae pertinet ad fidem deitatis, tribus diversis distinctisque

(1) Vide s. *Thomam*, part. 1, q. 74, art. 2.

(2) Vide s. *Thomam*, 1, 2, q. 174, art. 6.

(3) Tractatu theologico-politico, c. 2.

(4) I. Ioan. c. 1, v. 5. Quoniam Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae.

temporibus crevit; hoc est, naturae, legis, atque gratiae, quo ultimo tempore (nempe gratiae) ab ipso Filio Dei mysterium Trinitatis aperte revelatum est (2). Unde de novo patet, hallucinari *Spinozam* (3), dum ait, propter imbecillitatem aut acumen ingenii contigisse, ut non omnes prophetarum veritates sibi revelatas aequae distincte noverint.

27. **QUAERES X.** *Cur prophetiae plerumque sint tam obscurae, cum tamen earum auctor sit Deus, qui est lux ipsa* (4), *et Pater luminum* (5)? R. Causae obscuritatis prophetiarum sunt plures. I. Res ipsae per prophetias propositae, quae in se obscurae sunt, et saepe aenigmatibus, symbolis, proverbii, ac tropis involutae; de quo infra (6) dicemus. II. Ignorantia historiarum; quia non satis tenemus, quibus in circumstantiis rerum et personarum, quisque propheta vaticinatus sit. III. Ignorantia linguarum orientalium. Nam prophetiae V. T. ut plurimum hebraico, aut aliquae chaldaico vel alio orientali idiomate originaliter conscriptae sunt, et tum in graecum per LXX interpretes translatae; postea demum in latinum conversae ad nos pervenere. IV. Frequentes saltus seu repentini in vaticinando transitus prophetarum a figura ad figuratum, a rebus corporeis et temporalibus ad mysteria Christi et ecclesiae: item latentes mutationes personarum in prophetia loquentium, aut etiam temporum, dum iam in tempore praesentis, iam in praeterito, iam in futuro vaticinantur. V. Multae prophetiae obscurae sunt, quia plura eorum, quae iisdem praedicuntur, ante-

(5) In epist. s. Iacobi c. 1, v. 17. Omne datum optimum, et omne donum perfectum de sursum est, descendens a Patre lumine, etc.

(6) Vide sequent. quaest. 12.



quam eveniant, nobis impossibilia esse videntur. Hoc etiam contingit in rebus humanis; unde licet, postquam res aliqua inusitata evenierit, distincte advertamus, talia eius principia fuisse, ut iisdem hic et non alius exitus respondere debuerit; tamen, antequam evenierit, et nihil certe conicere possumus, et in summa obscuritate versamur. VI. Saepe quoque in divinis prophetiis deprehenditur obscuritas, vel quia in iis velut inter se unita sunt, quae non uno eodemque tempore contingere debent, vel quia nonnullae circumstantiae aliquando reticentur, quae ad rem illustrandam plurimum conferrent, vel demum quia temporales promissiones cum aeternis simul coniunguntur, et sic figura cum figurato quasi convolvitur, ut paullo ante diximus, aut tam multa atque in se diversa uno tempore revelantur, ut ea inter se pugnare, alicui videri fortasse possent, nisi fides contrarium doceret.

Fecit autem Spiritus s. tam multiplici difficultate obscurari prophetias ex duplici potissimum (ut pp. et interpretes censent) capite. PRIMO, ut consuleretur incolumitati tam prophetarum ita tecte et obscure loquentium (1), quam secu-

(1) Hanc rationem assignat s. Chrysostomus concione 1 de prophetiarum obscuritate, n. 3, quae eoncio habetur in tomo 6, recentioris editionis, ita loquens: « Multa iudaeis istae (hoc est, prophetiae) mala praedicunt, ac fore, ut eiiciantur illi, non recipiantur. Templum evertatur, nec amplius excitetur... Neque vero tantum ista, sed et alia multa eiusmodi praedicebant prophetae, dum innumeras suis libris tragoedias immiscerent. Ne igitur ab initio iudaei manifeste haec audientes, eos interficerent, qui haec dicebant, interpretationis difficultate praedictiones occultarunt, ac multa obscuritate rebus of-fusa, per eorum quae dicebantur, obscuritatem prophetarum incolumitati consu-luerunt. »

ritati librorum ab ipsis scripto-rum (2). Voluit enim Deus hac ratione infidelibus iudaeis aut gentibus rem ad tempus celare, ne margaritas proiiceret ante porcos; et ne impii reges aut populi audientes, quae sibi non placerent, in prophetas insurgerent, vel sacros prophetarum libros exurerent, ut interdum fecerunt. SECUNDO; ut prophetia ipsa ob obscuritatem suam cogeret vaticiniorum sanctorum auctorem Deum adire, et ad illum humiles preces fundere, vel ad ecclesiam, doctoresque in ea existentes accedere, pro illorum adipiscendo intellectu; qui sane ingens est fructus. Ob eandem et alias causas Deus etiam reliquas Scripturas sacras censendus est voluisse in multis esse obscuras. Habebit autem ecclesia semper viros doctos et pios, qui requisita linguarum ac historiae notitia pollentes, insuper veterum patrum lectione, et apostolorum, evangelistarumque doctrina adiuti, ac (quod praecipuum est) divino lumine collustrati, obscura dilucidabunt, et praedictas difficultates in explanandis prophetis modo et tempore, quo Deus voluerit, superabunt.

SCHOLIÖN. Quamvis non paucae prophetiae sint obscurae, negari tamen non potest, multa quoque tam clare, atque distincte prophe-

(2) Eusebius in prooemio lib. 6 demonstrationis evangelicae ad quaestionem, cur de Christo venturo alia quidem obscurius, alia autem apertius dicta in prophetis inveniantur, ita respondet: « Atque ego quidem arbitror, occultior, illa propter iudaeos ita involute, atque implicite reddita esse, quod videlicet tristia quaedam in illis contra ipsos canerentur, ob quae verisimile fuit, ipsos abolituros, perditurosque fuisse Scripturam, si aperte extremum ipsorum interitum significasset. Sic sane etiam prophetis infestos fuisse, memoriae proditum est, propterea quod ab illis reprehenderentur. »

tarum oraculis manifestata fuisse, ut nullus in eis sit obscuritatis locus. Cur vero haec clare, illa obscure revelata fuerint, a mortalibus non est curiosius inquirendum.

28. QUÆRES XI. Cur in vaticiniis prophetarum nullus ordo servetur, quin potius temporibus, et locis maxime dissita velut unita exhibeantur, et sus deque omnia misceri videantur; cum tamen quae a Deo sunt, ordinata esse debeant? R. Quamvis Dei veracitas et sapientia postulet, ut nulla inter se pugnantia in divinis vaticiniis asserantur; nihil tamen prohibet, quominus in iis plura simul unita occurrant, quae diversis distinctisque temporibus, atque locis contigerunt. Quis enim mortalium tantae erit audaciae, ut eorum, quae per Deum revelanda erant, modum, rationem, ordinem, atque numerum praescribere contenderit? Nunquid Deus aliqua, quae post longum tempus eventura erant, revelare haud potuit, quin simul revelaret, quae antecedere et subsequi debebant, vel uno tempore simul manifestare, quae distinctis locis atque temporibus implenda erant? Profecto tantae temeritatis nemo extiterit, qui hac in re agendi rationem Deo constituere praesumpserit. Non est ergo cur miremur, si non semel sancti prophetae divino Spiritu afflati remotissima locis atque temporibus simul praedixerunt, nam ea tantum cognoscere ac praedicere poterant, quae a divino Spiritu sibi manifestabantur.

Habebant nimirum prophetae amplum lumen, et ideo ad plures et

(1) Comment. in psal. 43.

(2) Catéchisme philosoph. tom. 2, c. 3, art. 2, § 4.

(3) Matth. c. 24, v. 27.

(4) Sub initium commentar. in c. 2, Nahum.

plura diversis temporibus futura sua oracula extendebant. Tales sunt prophetae, ait s. Io. Chrysostomus (1); omnia tempora percurrunt, praesentia, praeterita, futura; et ut clarissim. Feller (2) significanter inquit: Instar fulguris, quod exit ab oriente, et paret usque in occidentem (3), saliant ab uno ad aliud. Idem quoque affirmatur a s. Hieronymo (4) his verbis: « Hinc vel maxime obscuri sunt prophetae, quia repente dum aliud agitur, ad alios persona mutatur. » Sic, ut Cornelius a Lap. (5) observat, prophetae transeunt a captivitate assyriaca decem tribuum, ad captivitatem duarum tribuum, Iuda scilicet et Benjamin, atque haec omnia faciunt citissime, saliendo a priore ad posteriorem, et statim ad priorem resiliendo; subinde vero id faciunt post longam orationem et quasi parenthesin. Similiter saepe transeunt ab historia ceu figura ad figuratum i. e. Christum; eum enim habent pro scopo: et a Christo rursus redeunt ad historiam, et res sui temporis. Porro id faciunt tribus de causis. PRIMA est, ut videatur esse prophetia non ingenio humano ordinata narratio aut historia. Unde in suis vaticiniis quasi in cyclade variegata et auro intertexta praedicunt saepe historiae filium, ut Christum historiae attextant et intertextant. Ita s. Hieronymus (6). SECUNDA est, quia prophetae elevati lumine prophetico, omnia (quae nobis remota et longe dissita videntur) sub se quasi exilia, coram et coniuncta intuebantur, uti revera sunt, si cum aeternitate Dei conferantur. Quomodo s. Benedictus in Deum elevatus vidit totum mundum

(3) Comment. in prophetas Maiores. Inter canones, qui facem praefurunt Prophetis, can. 4.

(6) In Osee c. 1.



collectum quasi in parvo globo, uti narrat s. *Gregorius* (1). TERTIA, quia mos prophetarum est, diversorum temporum coniungere prophetias, ut ex eo, quod ipsimet audientes, vel eorum successores viderent impletum, etiam crederent, quod in posterius tempus differtur, v. g. de Christo et ecclesia fore implendum. « Prophetæ, inquit s. *Hieronymus* (2), futurorum texunt vaticinium, ut praesens tempus non deserant; nam utriusque miscent sermonem, et ex occasione huius felicitatem Christi praedicunt. » Similia habet *Theophilus* loco mox citando.

29. SCHOLION I. Quamvis sancti prophetae diversis locis atque temporibus futura praedixerint, quamvis non eodem semper ordine prophetaverint, quamvis futurorum nonnulli plura, alii pauciora manifestaverint, quamvis demum, ut multa alia omittam, non omnes eadem dicendi ratione uti fuerint; tamen nihil in iisdem, in quo unus alteri in vaticinando contradicat, occurrit, nihilque, quod vel antea praevisis, vel sequenti rerum eventu, eo sensu quo praedictus est, non respondeat. Hanc autem consensionem etiam israelitae pro certo discrimine habuerunt, quo falsi a veris prophetis internoscerentur, sicuti monet s. *Augustinus* (3). Eleganter quoque hanc in rem *Theophilus* (4) ait: « Sed Dei homines, cum Spiritu s. efferrentur, et prophetae essent, divinitus docti et sancti, et iusti fuere, utpote ab ipso Deo afflati et eruditi. Quamobrem hac etiam mercede dignati sunt, ut Dei instrumenta fierent, et sapientiam, quae ab eo est, caperent; cuius quidem sapientiae beneficio et de

(1) II. Dialog. c. 33.

(2) In cap. 1 *Malachiae*.

(3) L. 48 de Civit. Dei, c. 41.

creatione mundi, et ceteris omnibus rebus dixerunt. Pestes enim, et fames, et bella praedixerunt; nec unus, aut alter, sed plures variis temporibus fuere apud hebraeos... ac amica inter se, et consona omnes dixere, tum quae ante eos gesta fuerant, tum quae ipsis erant aequalia, tum quae apud nos hodie perficiuntur; unde etiam et de futuris certo scimus ea ita esse eventura, quemadmodum et priora ad exitum perducta sunt. »

30. SCHOLION II. Quamvis prophetae temporibus et locis maxime disita simul annuntiarint; minime tamen sequitur, quod ipsorum vaticinia sint aliquod totum in suas partes velut discerptum; quales essent v. gr. laciniae *Virgilii*, aut aliorum poetarum perturbato ordine a contextu avulsae. Nam prophetiae in se sunt aliquid secundum Dei intentionem perfectum; et quamvis earum cohaerentiam aut sensum saepe non intelligamus, ob ignorantiam tam dissitarum rerum, temporum et locorum, vel ob alias rationes; tamen illae dictae modo sunt perfectae, suamque habent cohaerentiam. Res haec, ut clarissim. *Feller* (5) scite ait, declarari potest similitudine carminis lyrici. In hoc enim v. g. in praestantissimis odis *Pindari* aut *Horatii* saepe eruditissimi commentatores totam cohaerentiam seu contextum non satis penetrant.

31. QUÆRES XII. An omnes prophetiae divinarum Scripturarum sint allegoricae? 2. An allegoria res sit inanis, eaque pendens a genio illius, qui ad allegoricam explicationem recurrit? R. Ad PRIMUM negative. Nam omnes prophetias divinarum Scripturarum eo sensu esse al-

(4) L. 2 ad *Autolyicum* n. 9

(5) Loc. cit.

legoricas, ut per eas non nisi allegorice aliquid praedictum fuerit, falsissimum est. Quid? anne fortasse *Ieremias* (1) excidium Hierosolymorum et captivitatem 70 annorum allegorice prophetavit? anne *Iosephi* prophetia (2) de iis, quae eventura erant eunuchis secum in carcere degentibus, deque futura fame in Aegypto (3) allegoria fuit? Atque ut alia plurima omittam, *Moyses* ne *Pharaoni* allegorice praedixit (4), quae illi eventura erant, ni Domini mandatis obtemperaret? Quamvis ergo factis quoque (5) a sanctis prophetis futura praedicta fuisse legamus, tamen saepe ac frequenter verbis, et iis non allegoricis aut obscuris, sed omnino claris ac per se manifestis, nullique ambiguitati obnoxiiis, futura multa a sanctis prophetis praedicta fuisse, nemo sanæ fidei dubitaverit.

32. SCHOLION. Ad dicta et dicenda melius intelligenda breviter explicandum, in quo ipsa allegoria (prout hic ab *Augustino* accipitur), allegoricusque sensus consistat. « Allegoria dicitur, inquit s. *Augustinus* (6), quum aliquid aliud videatur sonare in verbis, et aliud intellectu significare. Quomodo dicitur agnus Christus: nunquid pecus? Leo Christus: nunquid bestia? Petra Christus: nunquid duritia? Et sic multa aliud videntur sonare, aliud significare, et vocatur allegoria. » Sicuti vero animadvertit s. *Thomas* (7), divinarum Scripturarum sensus spiritualis triplex est, et allegoricus quidem, quando ea, quae sunt veteris legis, significant ea, quae sunt novae legis.

(1) *Ierem.* c. 25, v. 9, 10, 11, c. 26, v. 6.

(2) *Genes.* c. 40.

(3) *Genes.* c. 41.

(4) *Genes.* c. 8, et in aliis quibusdam capitibus sequentibus.

33. R. Ad 2. pariter negative. Tantum enim abest, ut allegoria sit quaedam res inanis, ut potius plurimum utilitatis in se contineat; quemadmodum s. *Augustinus* (8) recte monuit his verbis: « Ad ipsum autem ignem amoris nutriendum... ista omnia pertinent, quae nobis figurate insinuantur; plus enim movent et accendunt amorem, quam si nuda sine ullis sacramentorum similitudinibus ponerentur. Cuius rei caussam difficile est dicere. Sed tamen ita se habet, ut aliquid per allegoricam significationem intimatum plus moveat, plus delectet, plus honoretur, quam si verbis propriis diceretur apertissime. Credo quod ipse animae motus, quamdiu rebus terrenis implicatur, pigrius inflammatur; si vero feratur ad similitudines corporales, et inde referatur ad spiritualia, quae illis similitudinibus figurantur, ipso quoque transitu vegetatur, et tanquam in facula ignis agitatus accenditur, et ardentiore dilectione rapitur ad quietem. »

Allegoriam autem pendere a genio eius, qui ad allegoricam explicationem recurrit, soli deistae sua solita confidentia affirmare audent. Quid? Anne in allegorica explicatione, quae quondam dicta vel facta esse leguntur, non oportet, ut in eum quadrent, ad quem referuntur? Anne in allegorica explicatione congrua ratione evinci non debet, quae praecesserunt, fuisse typum eorum quae secuta sunt? Anne de aliqua connexion constare non oportet inter figuram et figuratum? Quapropter in allegorica ex-

(5) Vide supra n. 1.

(6) Enarrat. in psalm. 103, serm. 1, n. 15.

(7) Part. 1, q. 1, art. 10.

(8) Epist. 37, n. 21, alias epist. 119.